Tecum civem Lampſacenum
Rogo ducas, & Silenum,
Bacchaſque Thyrſigeras.
Et te propè ſit Potina,
Quæ dat potum in culina
Prima cunctis pueris.
Tentat Bacchus Itiphallus,
Malus caper, malus gallus,
Aha! nimis turpiter.
Bibe, bibe, bibe, bibe,
Tu qui ſapis, bibe, bibe,
Dum Lyæus imperat.
Sed jam potrix turba tace,
Et tu Codre talos jace,
Sub bibendi arbitrio.
Quòd jeciſti canes ternos,
Bibe, bibe, bibe ternos
Jam Falerni calices.
Tu jeciſti ſenionem,
Bibe, bibe bactrionem
Trebulani veteris.
Codre caput tibi fumat,
Ne quis ignis te conſumat,
Stingue mero citiùs.
Et vos mei combennones,
Elevate bactriones,
Ut poſſitis dicere
Io, Io, Io, Io,
Gaudeamus Io, Io,
Dulces Homeriaci,

* Apophthegmata.

Quidam Lacon quum audiſſet, quoſdam à cœna cogi ad bibendum, Num, inquit, coguntur etiam ad edendum? Notavit eos, qui cum non eſuriant, ad eſcas compelluntur.

Ariſtippus, jactanti cuidam, quòd multum biberet, nec inebriaretur, Quid, inquit, magni narras, quum idem faciat mulus?

Poſt Mutinenſem fugam, percontantibus, quid ageret *Anton.* quidam ex familiaribus ejus reſpondiſſe fertur, Id quod canis in Nilo: bibit, & fugit. Bibacitas, propenſio ad largiùs bibendum: φιλοποσία, Hebr. *Scheti*, à verbo *Schathah*, bibit ſitiens, apponendo poculum ori. Hinc Latinum Sitio.

☞ *Conſule Tit. de Ebrietate, ubi multa quæ ad hunc locum aptè poterunt referri.*

Lepidum eſt, quod *Georg. Sab. in ſuis Poemat.* refert de quadam obeſa, ſalem aſſiduè comedente, ac non infrequenter bibente:

Ne caro præpinguis ſale non condita putreſcat.
Noſtra vorat multum Syllis obeſa ſalis.
Aſt ne concipiat duros veſica lapillos,
Se liquido ſemper abluit illa mero.
Sic habet immodico turgens abdomine, cauſam
Quare perpetuò ſiſtat, alatque ſitim.

Scriptores.

Bibaces qui, *Ælian. in variis Græ. fol.*14. Bibendi ratio, *Bruſ. l.*1. *c.*9. Græcorum in bibendo leges, de Jovis Olympii cratere, item heroum, & Soteris Jovis ac Mercurii, quid modiperator, bonus Deus qui intelligendus, *Cæl.*28. 6. Bibendi leges, *Cæl.*7. 26. Amyſtiſſare, *ibid.* De variis bibendi conſuetudinibus apud Græcos, ubi & de diverſorum generum calicibus, agit *Leodic.*3.93. Quòd Plato in libris, quos de legibus compoſuit, largiores, lætioreſque in conviviis invitatiunculas vini non inutiles eſſe exiſtimaverit, *Gel.*15. 2. De helluonibus & bibacibus, *Steph. Niger in lib. de nimio vitæ luxu, quem ex Athen. tranſtulit.* Qui benè poti ad ſcribendum acceſſerint, *Cæl.*28. 6. De viris claris, qui vino dediti fuere, *Raph. Volat. l.*32. Vinoſitas multorum, *Ælian. in var. hiſt.* De ritu bibendi ad ſanitatem, *Ioan. Frid. Mateneſ.* ☞ *Plura quære ſub Tit. Ebrietas, Intemperantia, Combibones, Combibere multa. Item de oculorum adfectibus, Lippitudine &c. Epitaphiis. Sed neque parum hic locus illuſtrabitur ex loco de Poculis, ubi pleraque nova & curioſa.*

---

* Biblia.

Definitio Et Etymologia.

Item Bibliorum materia in genere, & in ſpecie.

Generatim loquendo, Bibliorum materia eſt verbum Dei ſcriptum. In particulari verò ſunt varii libri, à quibus Bibliorum appellatio & vox ſumitur, βιβλία enim libellos ſignificat. Item res varias, quæ in illis proponuntur. Ratio omnis, & ſermo divinis libris continetur, ait *S. Hieron. præfat. in Epiſt. ad Epheſ.* per quos & Deum diſcimus, & quare creati ſumus (ubi ſub opere creationis alia Dei opera intelliguntur) non ignoramus.

Forma.

Ea eſt varia juxta variam verbi Dei conſiderationem, ut enim vox quædam eſt, habet pro forma ipſam vocum articulationem; ut verò ſignificat, ipſa illius ſignificatio forma eſt. Quatenùs ſcriptum eſt, pro forma habet ſcripturam, ſive characteres; ut liber eſt, ſive volumen multis libris conſtans, formam etiam habet connexionem librorum ad invicem. In quantum habet auctoritatem, forma illius æſtimatur ſumma & certiſſima veritas, fideique dignitas ritè propoſitæ, ut ei credi oporteat, quod præfatis libris aſſeritur.

Auctor.

Bibliorum Auctor duplex eſt, Principalis & generalis, qui eſt Deus Opt. Max. & Inſtrumentalis, varii videlicet homines, quorum opera & manu ad Bibliorum ſcriptionem Deus eſt uſus. Unde Paulus: Omnis Scriptura, inquit, divinitùs inſpirata. 2. *Tim.*3. Et Apoſtolorum Princeps, Non voluntate humana allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu ſancto inſpirati, φερόμενοι, locuti ſunt ſancti Dei homines Locuti, non tantùm voce, ſed etiam ſcripto. Quibus verò rationibus extra Scripturam adſtruatur hic Bibliorum Auctor, videatur apud eos Scriptores, qui de hac re tractant, noviſſimè apud *Nicol. Serrarium in opuſculis*, & ex *loco de Scriptura ſacra in hoc opere.*

Idioma Et Character.

Idioma ſive lingua materialis, qua Deus inſonuit eorum auribus, qui ſacra Biblia ſcripſerunt, exiſtimatur fuiſſe Hebræa, & quidem penè ſola, ſi paulò latiùs ſumatur, ut Aſſyriam & Chaldaicam ſub ſe complectitur, & à quibus propriè Hebræa non niſi accidentaliter differt, ut ſentit *Georg. Michael Amiras in prælud. Gramm. Syriac.* De lingua verò, qua per interpretes uſus fuit, dicemus §. *de Verſione.*

Character quo primùm ſcripta Biblia fuerunt, potiſſimùm Hebræus, & Græcus; nam antiquum Teſtamentum Hebraicè, Novum Græcè ſcriptum eſt, quanquam Euangelium Matthæi nonnulli Hebraicè, Marci verò Latina & lingua & charactere ſcriptum velint non improbabiliter. Legatur *Iren. lib.*7. *cap.*1. *Papias apud Euſ. l.*3. *hiſt. c.*39. Eſſe autem eundem characterem Hebræum, quo initio ſcripta ſunt Biblia, & qui modò in uſu, ac ſimpliciter Hebræus dicitur, tenuit Cardin. Baronius *tom.*2. *Anno* 180. Communior interim opinio eſt, characterem ab Eſdra mutatum, & eam, quæ hodie vocatur Hebræa, non eſſe priſcam, qua Moyſes & alii uſque ad Eſdram uſi ſunt Prophetæ. *Ita Euſeb. in Chron. Hieron. in c.*9. *Ezech. in Prologo Galeato, Rupert. lib.*3. *de victoria verbi, c.*25.

Quoad puncta verò quibus diſtinguuntur vocales apud Hebræos à conſonantibus, veriſſima eſt ſententia, fuiſſe diu poſt Chriſtum natum excogitata à Judæorum Rabbinis, qui Maſorethæ vocantur. Certè ante D. Hieronymi tempora incognita fuiſſe certiſſimum videtur, quòd neque apud illum, neque in alio codice vetuſto reperiantur. Fit quidem mentio Accentuum apud veteres, qui cum ipſa voce enunciantur; non tamen punctorum, quæ literas diſtinguunt.

Finis. Commendatio. Usus.

Duplex Bibliorum finis à S. Joann. indicatur: Hæc autem ſcripta ſunt, ut credatis, quia Jeſus eſt Chriſtus filius Dei, & ut credentes vitam habeatis, *cap. ult.* Et S. Paul. *Rom.*15. Quæcumque ſcripta ſunt, ad noſtram doctrinam ſcripta ſunt, ut per patientiam, & conſolationem Scripturarum ſpem habeamus.

Particularem autem finem quadruplicem Apoſtolus idē facit, & ex iis Bibliorum lectionem Timoth. ſuo commendat: Et *quia*, inquit, *ab infantia tua ſacras literas noſti, quæ te poſſunt inſtruere* (σοφίσαι ſapientem reddere) *ad ſalutem, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Cum enim oramus, ait S. Aug. cum Deo loquimur: quando verò legimus divinas ſcripturas Deus loquitur nobiſcum. Et ſequitur apud Paulum: *Omnis Scriptura divinitus inſpirata, utilis eſt docendum*, nempè ſanam doctrinam: *ad arguendum*, Hæreticos ſcilicet & falſos DD. *ad corripiendum*, vitia & defectus: *ad erudiendum in juſtitia*, qua videlicet ad omnem morum honeſtatem & perfectionem excitemur, & tendamus. Notandum autem, Apoſtolum non dicere, ſolam ſcripturā ea facere, aut eſſe ſufficiētem, ut iſta faciat, ut colligunt Novatores, ut errorem ſuum de verbi ſcripti neceſſitate & ſufficientia ſtabiliāt; ſed eſſe utilem.

Inſinuatur tamen hic ab Apoſtolo, ut notavit S. Chryſoſt. neminem ſine Scriptura poſſe eſſe perfectum in fide, & vita Chriſtiana ac divina. Ideòque *Baſil. Epiſtol.* 1. *ad Greg. Nazianz.* comparat Scripturam officinæ Apothecariæ, variis pharmacis ſpiritualibus inſtructæ.

S. Paula in omni tentatione & adverſitate ſe armabat lectione ſcripturæ, & ſeipſam ad perfectionem vitæ Chriſtianæ inſtruebat, ut videretur eſſe armamentarium ſcripturarum; ut latè tradit *S. Hieronym. in Epitaphio ipſius.*

Venerant ad S. Antonium jam ſenem Religioſi, vitæ religioſæ normam ſibi præſcribi poſtulantes. Ille ſumpto Euangeliorum codice: Ecce, ait, omnia hic ad benè beatèque vivendum neceſſaria. Conſiderabat illud Davidis *Pſal.*118. Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen ſemitis meis. *L. Beyerl. in Apoph. Chriſt. ex Balæo, Tit. Euangel.*

Multa in commendationem S. Scripturæ veteres tradiderunt, nominatim S. Chryſoſt. *Hom.*29. *in Gen. hom.*14. & 52. *in Ioan.* item *hom.*9. *in Epiſt. ad Coloſſ.* ex qua pauca quædam hic adtexere viſum eſt.

Comparate vobis, inquit, Biblia, animæ pharmaca. Si nihil aliud vultis, vel novum Teſtamentum acquirite, Apoſtolorum acta, Euangelia, continuos ac ſedulos doctores. Si acciderit moleſtia, hic veluti Apothecam pharmacorum introſpice, hinc tibi ſume ſolamen mali, ſive damnum evenerit, ſive mors, ſive amiſſio domeſticorum. Imò non introſpice ſolùm, ſed omnia iterum atque iterum verſa, menteque illa contine. Hoc demum malum omnium cauſa eſt, quòd ſcripturæ ignorantur. Sine armis bellum ingredimur, & quomodo ſervari poſſumus? &c.

Gregor. Nazian. carmine de veris & germanis ſcripturæ libris, hæc dicit:

In libris ſacris linguaque & mente frequenter
Verſare, aut etenim donat Deus iſta laborum
Præmia, ut abſconſæ lucis mens ſedula quiddam
Conſpiciat, vel certè iſtinc ea commoda capit,
Vt per ſancta Dei capiat præcepta dolorem:
Aut, quod poſtremum eſt, animos hæc lectio rebus
Abſtrahit à fluxis, ſtudia ad meliora vocatos.

In Carminibus Iambicis de virtute, dicit Scripturam ſacram eſſe dulciſſ. fontem mentibus caſtis patentem.

Baſil. Magnus, *Epiſt. ad Naz.* dicit meditationem divinarum ſcripturarum eſſe potiſſimam viam ad inventionem recti.

Theod. Medicus Conſtantinopolitan. miſerat ad D. Gregorium Epiſc. Rom. magnam pecuniæ vim pro captivorum redemptione. Ejus libertatem Gregorius commendat: negligentiam interim in evolvendis ſacris literis reprehendit: inter cætera his verbis uſus, Imp. cœli, Dominus Angelorum & hominum, pro vita tua tibi epiſtolas ſuas tranſmiſit, & tu illas ardenter legere negligis? Quid eſt enim Scriptura ſacra, niſi quædam epiſtola omnipotentis Dei ad creaturam ſuam? Plura vide apud eundem, *Lib.*4. *ep.*94. & *lib.*6. *Epiſt.*189. *Greg. Magn.*

D. Bernardus, etſi ſcripta Patrum diligenter evoluit, ſcripta tamen Prophetarum, & Apoſtolorum, fontes veritatis appellabat, quibus per devotam meditationem inhærendo plus proficerent homines, quàm immenſos aliorum commentarios legendo. Proindè per jocum ad amicos dicere ſolebat, ſe nullis, præterquam quercubus & fagis, uſum magiſtris. *Auctor vitæ lib.*1. *cap.*4.

Conſtantinus Imp. Libri Euangeliſtarum & Apoſtolorum, inquit, quinetiam veterum Prophetarum oracula, nos evidenter docent, quid de divino Numine ſentiendum ſit. Omni igitur contentione depulſa, literarum divinitùs inſpiratarum teſtimoniis res in quæſtionem adductas diſſolvamus. *Theodoret. Eccleſ. Hiſt. lib.*1. *cap.*7.

Joan. Picus Mirandulanus, D. Pauli Apoſtoli Epiſtolas, oratorum omnium ſcriptionibus eloquentia præſtare edicebat, Tullii & Demoſthenis lucubrationes nominatim citans; non quòd eſſent, ut illę, calamiſtris inuſtæ, & corraſis undique fucis & cincinnis conſtipatæ, ſed quòd veram ſolidamque redolerent & ſaperent eloquentiam, veris ſententiis, vera arte ſuffultam, eſſentque Ægyptiorum non conſulto ſuffarcinatæ. Omnia porrò veteris legis eloquia conſummatiſſimæ ſententiæ & ſapientiæ plena prædicabat. *Ioan. Franc. Pica in vita.*

Inciderat apud S. Bartholomæum Apoſtolum mentio de Euangelicæ doctrinæ utilitate & fructu. De quo iſta: Euangelii lex brevis eſt, & longa. Notabat autem Euangelii codices numero & literis paucos & breves: explicatione verò, ac potiſſimùm imitatione, operoſos ac longos. *Dion. c.*1. *Theol. myſt.*

Quin & Serapion Abbas, cū jam ſe omnibus indumentis expoliaſſet, ut Chriſti membra contegeret, & nudus ſederet, roganti: Quis te pater ſpoliavit? prolato, quem ſub alis habebat, Euangelicorum codice: Hic, inquit, me nudavit. Propter fidem enim Euangelii, in quo tam præclarę promiſſiones Eleemoſynis factæ leguntur, ita ſe exſpoliavit. *Pallad.*

Circumfertur etiam cujuſdam viri eruditi pronunciatum, ſacram videlicet Scripturam eſſe faſcias, quibus involutus detinetur puerulus Jeſus; qui proinde non niſi illis explicatis, videri poteſt.

Profunditas, Et Obscuritas

☞ *Vide infr. Et Conſule Locum de Scriptura ſacra.*

* VERITAS, ET AUCTORITAS.

Biblia tota, hoc eſt, quidquid proponitur iis libris, qui ab Eccleſia in Canonem Librorum ſacrorum ſunt recepti, veriſſimum eſt, quia eſt verbum illius, qui eſt ſumma & prima veritas, qui uti fallere nequit, ita & falli. Unde dicitur verbum veritatis, *Eph.*1. & alibi, Univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas. Iterum, Omnia mandata tua veritas.

Exhinc ſumma earumdem eſt auctoritas, tam quoad ſeipſam, cùm Deum auctorem habeat, & contineat ipſius verbum omni veneratione dignum: quàm quoad nos, qui Biblia pro talibus agnoſcimus, & veneramur tanquam infallibile Dei verbum. Unde S. Aug. *Lib.*1. *de Doct. Chriſt. c.*58. Titubabit fides, ſi divinarum Scripturarum vacillet auctoritas. Itaque Biblia quoad ſe, auctoritatem accipiunt ab ipſa ſua, ἀξιοπιστία. Secundò, hanc ab ipſa ſumma ſua veritate. Tertiò, hanc formaliter vel eſſentialiter ab ipſa rerum conformitate cum vocibus ſignificatis: Res enim à Deo dicta & revelata ſtatuitur objectum formale, in quo fides tendit, & cui ultimò adhæret. Vide *Melch. Canum de loc. Theol. c.*8. *l.*2. Quoad nos verò, Bibliis auctoritatem dedit Deus ipſe, qui verbum ſuum nobis loqui, & dictare fuit dignatus, & lumen fidei infundere, aliaque adminicula ad eadem cognoſcenda largitur. Qui etiam Eccleſiæ ſuæ ſpiritum veritatis dedit, & columnam ac firmamentū veritatis eſſe voluit: unde etiā quoad nos S. Script. authoritatem ſumit ab Eccleſia docente, & de illa infallibiliter teſtificante. Hinc ſemper ab Eccleſia deſumptum fuit, qui libri Canonici habendi aut ſacri.

Egregia & memorabilis eſt illa S. Aug. vox: Ego Euangelio non crederem, niſi Eccleſiæ Catholicæ me commoveret auctoritas. *Lib. cont. Epiſt. Fundamenti c.*5. Et ſtatim: Actuum Apoſtolorum libro neceſſe eſt me credere, ſi credo Euangelio, quia utramque Scripturam ſimiliter mihi Catholica cōmendat auctoritas. Unde colligitur, teſtimonium ordinarium exterius, ſufficientiſſimum eſſe pro Bibliorum quoad nos auctoritate, Eccleſiæ Catholicæ teſtificationem. Et *S. Hier. in Matth.* Quidquid de ſcripturis auctoritatem non habet, eadem facilitate contemnitur, qua probatur.

BIBLIORUM NORMA ET CANON.

Supra ex Apoſtolo inſinuatum, Biblia normam continere & tradere ad benè vivendum & credendum. Habent enim omnes veræ regulæ & normæ conditiones, ac perfectiones. Unde ad eam Eccleſia reſpicere ſolet, & hanc normam intueri, quando in re ardua ferendum judicium.

Et quidem in vetuſtiſſimis Conciliis ſolebat Euangeliorum liber collocari in auguſtiſſimo Throno, ut patet *Actor.* 1. *Concil. Calced.* Sed meminerit Lector, non ſolam eam normam à Catholicis doceri, quæ verbo Dei ſcripto continetur, ſed quæ verbo Dei generatim traditur, ut ſub ſe continet etiam Traditiones, ſive verbum non ſcriptum. De quo legatur *Bellar. in Controver. lib.*4. *de verbo Dei.*

Canon Bibliorum ſumitur ex eo quòd Biblia ſint norma & regula, juxta ea quæ præmiſſa ſunt hoc §. & ex eo quòd catalogum contineant librorum ſacrorum. Unde Patres de libris ita loqui ſolent, ut dicant eos eſſe in Canone. Quod D. Hieron. in Prol. Galeato, vocat computari in numero ſanctarum Scripturarum. Vocatur enim Canonicum, quod vel regulæ eſt conſentaneum, vel quod in certo Canone vel numero continetur.

Canonis Auctor.

Omnes libri qui Bibliis cōtinentur, ſunt Canonici in actu primo, eo ipſo, quòd eos Deus dictavit, & per alios conſcribi fecit. Quoad nos verò cenſentur Canonici, ſive Sacrorū Librorū catalogo adſcripti, dū de iis teſtificatur Eccleſia. Hæc enim initio ipſorum Canonem condidit, & conſervat. Quæ ratio ſufficiēs eſſe debet dubitāti, num liber aliquis ſit Canonicus, nec ne. Ejus enim rei declaratio penes Eccleſiam eſt,

A cum illius, sit authoritatem iisdem tribuere, sive declarare eam, quam re vera habent in se, Alioquin nullus esset altercandi finis. Audiamus de hac re August. *Epist. ad Hieron.* scribentem, & quid de libris Canonicis sentiat, apertè confitentem.

Ego solis iis scripturarū libris, qui jam Canonici appellātur, didici hunc timorē honoremque deferre, ut nullum eorū Authorum scribendo aliquid erraſſe, firmiſſimē credam: alios autem ita lego, ut quantalibet ſanctitate doctrinæ præpolleant, non ideò verum putem, quia ipſi ita ſenſerunt; ſed quia mihi vel per illos Authores Canonicos, vel probabili ratione, quod à vero non abhorreat, perſuadere potuerunt.

* QUOTUPLEX CANON BIBLIORUM

Canon Bibliorum variè dividitur, Primùm in libros Veteris, & novi Teſtamenti. II. In Canonem Judæorum & Chriſtianorum. III. In Catholicum & Hæreticum. Ita Auguſtin. *De Actis cum Felice cap. 6. lib. 2.* & dicitur Hæreticus, qui libros aliquos Canoni Catholico addit, vel adimit; uti veteres Hæretici fecere, eoſque moderni ſequuntur.

Veteris autem Eccleſiæ Judaicæ Canon variè traditur à B variis, cùm nunc XXII. nunc XXIV. alii XXVII. libros recenſeant: quæ diverſitas oritur, quòd apud nonnullos quidam libri tanquam unus accipiantur, quòdque quidam etiam libri alii ceu appendices adjungantur.

Eccleſiæ Chriſtianæ Canon omnes libros, quos habet & agnoſcit Canon Judæorum, recipit, & præterea nonnullos Veteris Teſtamenti libros, & univerſum novum Teſtamentum. Eſt autem Canon Chriſtianus in Oecumenicorum Conciliorum ultimo Tridentino ſic traditus, *ſeſſ. 4.*

Teſtam. vet. lib. V. Moyſ.

- Geneſis.
- Exodus.
- Leviticus.
- Numeri.
- Deuteronomium.
- Joſue.
- Liber Judicum.
- Ruth.
- Reg. I. II. III. & IV.
- Paralip. I. & II.
- C Eſdr. I. & II. qui dicitur Nehemias.
- Tobias.
- Judith.
- Eſther.
- Job.
- Pſalmi.
- Proverb. Salomonis.
- Eccleſiaſtes.
- Canticum.
- Sapientia.
- Eccleſiaſticus.
- Iſaias.
- Jeremias, cum Baruch, Ezechiel, Daniel.
- Prophetæ Minores XII. Nempè Oſeas, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Naum, Abacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malach.

Duo libri Machabæorum.

Teſtamenti novi, IV. Euangelia, Matthæi, Marci, Lucæ, Joannis.

Acta Apoſtolorum per Lucam.

XIV. Epiſt. Pauli. Ad Roman. una. Ad Corinth. duæ. Ad Gal. Ad Epheſ. Ad Philip. Ad Coloſſ. Duę ad Theſſaloniceſi. Duæ ad Timoth. Ad Tit. Ad Philemonem. Ad Hebræos.

Petri duæ.

Joannis tres.

Jacobi una.

Judæ Apoſtoli una.

Et Apocalyp. Joannis Apoſtoli.

Et hic Canon perantiquus eſt, traditus à *S. Innoc. l. Epiſt. 3. ad Exuper. c. 7.* Ann. Domini 405. Et approbatus à Concil. Carthagin. celebrato ann. 419. cui & interfuit, & ſubſcripſit S. Auguſt. eumque Canonem ipſe indicat *Epiſt. 235.* & eundem, nullo libro addito vel dempto, niſi quòd ſub Jeremia, more aliorum, Baruch complectatur, repetit, *lib. 2. de Doct. Chriſt. c. 8.* *

Cæterùm Hæretici, tam antiqui, quàm recentiores, ple-D roſque eorum librorum rejiciunt à Canone ſacrorum librorum, quòd non omnes velint inſcriptos fuiſſe Catalogo Hebræorum, vel quòd in Eccleſia primitiva, imò ipſius Hieronymi tempore, pro talibus non haberentur. Verùm argumentum S. Aug. locum hìc habet: Eandem eſſe Eccleſiam quę unum definivit, & recepit, ac quæ omnes; quod tamen ſucceſſivè factum non diffitemur. Ubi autem ſemel hos libros pro Canonicis recepit, & definivit, nullus ambigendi locus relinquitur. Deindè plerique libri nondum erant conſcripti, dum Canon Hebræorum concinnatus fuit: ut exempli gratia, Libri Machabæorum; quos tamen Eccleſia Catholica ſemper pro Canonicis agnovit, teſte S. Auguſt. *lib. 18. de Civ. c. 36.* in fine: ac eoſdem libros appellat Scripturam ſanctam, *lib. 2. cont. Epiſt. Gaudentii cap. 23.*

Deinde inter libros novi Teſtamenti etiam nonnullos rejiciunt novatores noſtri temporis; dum nunc Epiſtolam D. Jacobi ſtramineam, Apocalypſim dubiæ veritatis, Euangelium S. Joann. ſolum egregium & dignum appellant. Verùm hoc iis familiare, quod Simiis ſe ad ſpeculum contemplantibus, ut turpitudine conſpecta illud abjiciant: Sic hi, eò quòd videant in pleriſque Scripturæ divinæ libris redargui ſuos errores & blaſphemias, omni contentione eos mutilare, evertere, & è medio tollere laborant. E

LIBRIS S. SCRIPTURÆ NIHIL ADDENDUM, VEL demendum, aut mutandum.

S. Spiridion ille Magnus Trimithuntis in Cypro Epiſc. tenaciſſimus erat Eccleſiaſticæ antiquitatis, cuſtoſque paternarum traditionū, nec unius virgulæ mutatione patiebatur eam quavis occaſione labefactari. Unde accidit, ut cum aliquando gentilem ſuum Triphyllium Ledrenſem in Cypro Epiſc. vitum (ut teſtatur Hieron.) omnium ſuæ ætatis eloquentiſſimum, in Synodo orantem audiret, & locum illum Marci Euangeliſtæ citaret; Tolle grabatum tuum, & ambula: pro grabato lectum dixit. Quod moleſtè ferens Spiridion; Tune, inquit, melior es illo, qui grabatum dixit, ut ejus verbis uti dedigneris? Quod cùm dixiſſet, exiluit è ſede Sacerdotali, populo inſpectante: atque hoc modo Triphyllium eloquentia ſe arroganter efferentem ad moeſtiam erudivit: nam ſatis in ſe habuit auctoritatis ad pudore m alteri incutiendum, quippè cùm & veneratione dignus eſſet, F & rerum admirabiliter geſtarum gloria maximè nobilitatus quin etiam cùm eum & ætate anteiret, & dignitate ſacerdotali. *Soz. l. 7. Hiſt. Eccl. c. 11. & Niceph. l. 8. c. 42.*

Sabbatius Presbyter Novatian. in Ordine Presbyterii ſui manere nolens, ſed jam ſtatim ab initio Epiſcopatum anhelans, cùm ſpe ſua fruſtratus eſſet, ab Eccleſia Novatianorum diſceſſit, Judaici Paſchatis obſervantiam prætexens. Separatim itaque conventus faciens, tem auſus eſt multis periculis dignam: Nam cùm die quodam in eo conventu locū Euangelii legeret, in quo dictum eſt: Erat autem feſtum quod Judæorum Paſcha vocatur, adjecit, quæ nec uſpiam ſunt ſcripta, nec unquam audita, nempè ita: Maledictus ſit, inquit, qui Paſcha extra azyma facit. Hoc audito factum eſt, ut multi Novatiani ad ipſum defecerint. Verùm nihil illi profuit hoc ſophiſma; nam malum finem conſequuta eſt iſta divina verbi adulteratio: etenim feſtum hoc paulò poſt per anticipationem celebravit, & confluxerunt ad eum ſecundum cōſuetudinem multi: & dum pro more nocturnis vigiliis immorarentur, inciderunt in dæmoniacam quandam tumultuationem, quaſi Siſinnius ipſorū Epiſcop. multa cum multitudine ſuper ipſos irruat: eamque ob rem ſuborto tumul- G tu, ſicut evenire ſolet, nocte ac loco anguſto comprehenſi ſeipſos contriverunt, ita ut ex illis ſupra ſeptuaginta interierint. Hoc factum multos permovit, ut ab Sabbatio deficerent. *Socr. Hiſt. Eccl. lib. 2. cap. 5. & Niceph. lib. 14. c. 13.*

Manifeſtiſſimum infidelitatis argumentū, ſignumq; ſuperbiæ certiſſimum, ſi quis eorum, quæ ſcripta ſunt, aliquid velit rejicere, aut eorum, quæ non ſcripta ſunt, introducere, cum Dñs noſter edicat; Oves meæ vocem meam audiunt, alienam autem non ſequuntur. *Baſil. tract. de vera ac pia fide.* Quod intellige de eo, quod repugnet iis, quæ ſcripta ſunt, aut quæ novi aliquid inducunt. Quomodo Apoſtolus dicit anathema euangelizanti Galatis præter ea quæ ab illo acceperint.

Rejiciendos verò eos Euangelii interpretes, qui propriis viribus niſi, à communi Eccleſiæ explicatione ſpontè abertant, teſtis eſt Thom. Morus. Objiciente namque Tindallo (quem Morus reprehenderat, quòd vocem Eccleſiæ in congregationem, & Presbyteri in ſeniorem verterat) dulciſſimū ejus Eraſmum ita vertere, reſpondit: Si dulciſſimus meus Deſiderius prava illa intentione ſic vertiſſet, quà Tindallus, dulciſſimus meus Deſiderius ne quidem mihi dulcis eſſet. H *Ex Th. Staplet. in vita, L. Beyerl. in Apoph. Tit. in Euang.*

☞ *Poterunt nonnulla huc transferri ex loco de Impietate, Tit. Impii in ſacros Libros, eos mutilando, corrumpendo &c.*

LIBRORUM SACRORUM HONOR.

☞ *Conſule Locum de Euangelio. Item de Libris. Quamvis infra peculiaris illius argumenti Tit. etiam inferatur.*

* LIBRI APOCRYPHI QUI.

Apocryphus rem occultam ſignificat, ac reconditam: ἀπόκρυφος enim Græcis idem eſt, quod latibulum. Porrò Eccleſiaſtici Scriptores vocant Apocryphos eos libros, qui licèt errores non habeant, divinæ tamen & Canonicæ Scripturæ non annumerantur: ac tales vult *S. Hieron. in Prologo Galeato*, omnes qui non ſunt in Canone.

Cæterū Apocryphi qui modò extant, à Gelaſio Papa *diſt. 15.* Canone, Sancta Rom. ab Innoc. I. Epiſt. 3. Athanaſio in Synopſi, & aliis, enumerati, ſunt Oratio Regis Manaſſis, Pſalm. 151. Davidis, qui in Græcis Pſalteriis reperitur, appendix libri Job, quamvis in codicibus Græcis habeatur.

Ita

A Ità & Liber Hermetis, qui inſcribitur Paſtor. Tertius, & IV. Machabæorum. Quartus Eſdræ. Tertium enim pleriſque volunt ſecundo annecti oportere: verùm & is communiter Apocryphis accenſetur.

BIBLIORUM EFFECTUS VARII.

Ex ipſis Bibliis eliciuntur XXII. effectus verbi divini, literis conſignati, qui ſunt, Docere, arguere, corrigere, erudire in juſtitia, 2. *ad Tim. 3.* Convertere animas, ſapientiam præſtare parvulis, *Pſ. 18.* Fidem confirmare, *Io. 5. Act. 17.* Terrefacere, *Pſ. 118. Iſa. 66.* Dura corde conterere, *Ier. 13.* Sanare, *ad Titum 2.* Conſolari, *Rom. 25.* Lætificare, *Pſ. 18.* Delectare, *Pſ. 118.* Exſtimulare, *Eccl. 12.* Illuminare, *Pſ. 18.* Inflammare, *Prov. 30. Luc. 24.* Defendere adverſus technas dæmonis, *Eph. 6.* Corda ſcindere ac penetrare, *Hebr. 4.* Gignere in Chriſto, *Iac. 1.* Alere animum, *Matt. 4.* Corroborare, 1. *Cor. 1.* vitam æternam dare, ac beatum facere, *Io. 5. 6. Eccl. 24.* Adde dæmones ejicere, *Matth. 18.* & exemplo Chriſti in deſerto tentatorem repellentis, adverſus tentationes ſe armare, *Matth. c. 4.* Exempla ſunt.

Dum Abramius aliquando noctu oraret, tenens ſecurim, B Satanas cœpit cellam ejus evertere: cumque jam eam videretur perforaſſe, magna exclamavit voce, dicens: Feſtinate celeriter, ò amici mei, feſtinate, & introeuntes citò eum ſuffocate. Beatus autem vir Dei contrà ad illum: Omnes (inquit) gentes circumdederunt me, & in nomine Domini ultus ſum in eos. Ille verò protinùs hac voce audita evanuit; cella interim ſancti viri integra, atque illæſa permanente. Iterùmque paucis interlabentibus diebus aliis, dum media nocte Pſalmodiæ vacaret, conſpiciens; ſtoream, ſuper quam pſallens conſiſtebat, vehementi flamma comburi; ignem intrepidus conculcans, ajebat: Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem: omnemque potentiam inimici in nomine Domini noſtri Jeſu Chriſti mihi auxiliantis ſuperabo. Diffugiens autem Satanas exclamavit ac dixit: Ego te devincam, improbe, arteſque inveniam, quibus te conteram, qui me jam deſpectui habes, &c. *Ephr. Syrus in vita.*

In India Mogotis urbis Præfectus, uno è filiis eius graviter ægrotante, remedium expetit à noſtræ religionis ſanctitate. Data itaque ſunt illi ſacra ex Euangelio verba nonnul- C la, membrana papyracea deſcripta. Quæ cùm puero è cervice appendiſſet, magna cum omnium admiratione ſtatim convaluit. *Ex lit. an. Soc. an. 1597. Miſſione ad Mogorem, Provinc. Ind.*

Apud S. Arſenium quidam ex fratribus conquerebatur, ſibi ſacrarum literarum, quas & noſſet, & didiciſſet, intellectum perdifficilem eſſe, & reipſa experiri ſe, quòd exilis admodùm conſolatio ex iis ad ſe redeat, eaque de cauſa animam ſuam vehementer turbari. Ad quæ Arſenius; Fili mi neceſſe eſt, ut magno cum ardore meditationi divinæ doctrinæ inſiſtas. Audivi enim ex Abbate Poemene, aliiſque Patribus, quòd ſerpentium incantatores ipſimet verba, quibus ſerpentes effaſcinant, non intelligant; ſerpentes autem audientes verba, ea intelligant, eorum vim percipiant, eiſque obediant. Inde & nobis faciendum eſt: etiamſi virtutem, & efficaciam ſacrarum literarum planè non intelligimus; attamen virtutem verborum diaboli percipiunt, & fugantur. *In vit. Patr. l. 2. c. 90.*

D. Barnabas Poſt. qui apud Salaminam Cypri à Barien mago, & à Judæis pro Chriſto igne crematus eſt, corpus D ſuum, quod à Jo: Marco conſobrino ſuo in crypta occultatum adhuc latebat, re'velatione ſua inveniri fecit: cùm quo etiam Euangelium Matthæi, ipſius Matthæi manibus Hebraicè ſcriptum, quod erat ſimul reconditum, invenitur. Quod ipſe Barnabas ex doctrina Apoſtolorum ſecum ſemper ferre ſolebat; & ubicunque inveniebat infirmos, ponebat illud ſuper illos; & tam fide Barnabæ, quàm merito Matthæi ſanabantur. *Sigeb. Gemblac. ad an. 489.*

* BIBLIORUM CULTUS, DIGNITAS, SOLATIUM.

EXEMPLA SACRA.

Jonathas ſummus Sacerdos & ſeniores Judæorum, licèt eſſent rebus bellicis intenti, ſcripſerunt Spartiatis Epiſt. Nos enim, quando nullo horum indigeremus, habentes ſolatio ſanctos libros, qui ſunt in manibus noſtris. 1. *Mach. 12.*

Principes Sacerdotum, Scribas & Phariſæos, injuſtè arguentes Dominum, ipſe multories per ſcripturas convicit. *Matth. 9. 21.*

Et per ſcripturam reſpondens, defendit diſcipulos ſuos contra Phariſæos: Non legiſtis, ait, quid David fecerit quando eſuriit? 2. *Reg. 12.*

Salvator noſter, tentatus à Diabolo, per ſcripturam re- E ſpondit, & ipſum tentatorem, ſcripturæ auctoritate confudit. Idem ſcripturam eſſe completam in adventu ſuo, dixit, Hodie hæc ſcriptura impleta eſt in auribus veſtris. *Matth. 4. Luc. 4.*

Magnam authoritatem tribuit Dominus veteri teſtamento, quando dixit: Donec tranſeat cœlum & terra, iota unum, aut apex unus non præteribit. *Matth. 5.* & *Io. 10.* Non poteſt ſolvi ſcriptura.

Non minoris authoritatis, ſed majoris eſt novum Teſtamentum, de quo Dominus ait: Cœlum & terra tranſibunt, mea autem verba non tranſibunt. *Io. 10. Luc. 21.*

Legiſperitum ſciſcitantem, quid agendo acquireret vitam æternam, remittit Dominus ad ſcripturam: Quomodò legis, in lege quid ſcriptum eſt? *Luc. 10.*

Arguit Dominus Sadducæos de ignorantia ſcripturarum: Erratis neſcientes ſcripturas. *Matth. 12.*

Petrus in prima prædicatione ſua poſt miſſionem ſpiritus ſancti authoritatem *Ioel c. 2.* exponens, tria millia hominum convertit ad Chriſtum. *Act. 2.*

Valdè commendandus eſt Eunuchus ille, qui veniens de F Æthiopia Jeroſolymam, legebat Eiajam Prophetam, in curru exiſtens. Et Philippus præcepto Domini occaſionem aſſumpſit prædicandi ei Euangelium Chriſti, ex authoritate, quam legentem invenit, & credentem illicò baptizavit. *Act. 8.*

Veniens Paulus Berrhœam, intrabat Synagogam Judæorum: quidam autem ſuſceperunt verbum cum omni aviditate quotidie ſcrutantes ſcripturas, an hæc ita ſe haberent. Et crediderunt multi ex eis, Græcæ mulieres honeſtæ, & viri non pauci. *Cap. 17. Ibid.*

Apollo vir eloquens, potens in ſcripturis, contulit multum his, qui crediderunt per gratiam. Vehementer enim Judæos revincebat publicè, oſtendens per ſcripturas eſſe Chriſtum Jeſum. *Ibid. c. 18.*

HISTORICA.

☞ *Pete ex loco de Euangelio.*

IN BIBLIIS SACRIS NON CONTINERI OMNIA AD CREDENDUM NECESSARIA.

☞ *Pete ex loco de Traditionibus.*

* BIBLIORUM VERSIONES. G

Plures ſunt Bibliorum verſiones. I. Chaldaica, quam Thargum vocant. Eſtque eorum librorum, quos Judæorum Canon habet, & à pleriſque non tam verſio, quàm paraphraſis habetur. Et quidem Pentateuchum tranſtulit R. Aquilo, quem Onkelum vocant Chaldæi; alii alios libros.

Græcæ editiones & verſiones veteris Teſtamenti numerantur IX. præter eam, cujus meminit *Clem. Alex. l. 1. Strom.* quæ, antequam retum potiretur Alexander Magn. incertum quo auctore, prodiit: & ex qua Plato cæterique multa hauſerunt.

At omnium prima à Scriptoribus numeratur illa, quam vocant LXX. Interpretum, cujus Hiſtoriam ita ex *Iren. & Euſeb. Cæſar. l. 5. hiſt. c. 8.* habetore.

Priùs quàm Romanorum invaleſceret principatus, cùm adhuc Macedones Aſiam poſſiderent, Ptolemæus Lagi filius volens bibliothecæ ſuæ, quam apud Alexandriam ex omnium veterum Græcorum voluminibus conſtruebat, majorem gloriam quærere, petiit etiam ab Hieroſolymis, ut Hebraeorum Scripturas in Græcam linguam interpretatas acciperet. At illi (ſubjecti quippè erant Macedonibus) H electos, & in ſcripturis ſanctis eruditiſſimos, atque in utraque lingua peritiſſimos viros, ſeptuaginta presbyteros miſerunt ad Ptolemæum, in quo tamen Dei voluntas & conſilium gerebatur. Tum ille ſingulorum volens accipere documenta, & veritus, ne fortè per interpretationem occultarent inſertam divinis voluminibus veritatem, ſingulos à ſe invicem ſeparat, & eadem ſeorſum poſitos interpretari jubet, eumque ordinem interpretandi in ſingulis quibuſque voluminibus obſervari, quouſque rurſum coram ſe in unum omnes revocari, & conferre ad invicem, quæ ſinguli interpretati fuerant, facit. Et tunc Deus verè glorificatur, & ſcriptura ſancta, quòd verè divina eſſet: iſdemque nominibus ac ſententiis ſcripſerant ab initio uſque ad finem, ita ut & ipſi, qui aderant gentiles, agnoſcerent, quia Dei nutu ſcripturæ tunc interpretatæ ſunt. Et nihil mirum, ſi divina providentia hoc ita fieri procuravit, cùm & in ea captivitate, quæ populo accideret ſub Nabuchodonoſor Rege, corruptis ſcripturis, cùm poſt 70. annos Judæi ad patriam ſuam tederent, in temporibus Artaxerxis Perſarum Regis, inſpi-

rave-

A taverit Deus Esdra sacerdotem ex tribu Levi, ut omnia priorum prophetarum volumina ac verba repararet, & restitueret populo legem, quæ per Moysen fuerat data.

Cæterùm hanc LXX. Interpretum versionem emendavit Origenes, & post illum S. Lucian. Martyr ac postremùm Hesychius, qui suam versionem Ægypti Ecclesiis tradidit. De his autem versionibus ita scribit S. Hieron. Alexandria & Ægyptus in LXX. suis Hesychium laudat Auctorem: Constantinopolis usque Antiochiam, Luciani Martyris exemplaria probat: Medæ inter has Provinciæ Palæstinos codices legunt, quos ab Origene elaboratos, Eusebius & Pamphilus vulgaverunt.

Quoad testamentum novum, penè totum Græcè scriptum fuit, excepto Euangelio Matth. & Marci, & Epist. ad Hebr.

Latinæ versiones plurimæ fuerunt ante tempora D. Hier. ut testatur *S. Aug. l. 2. de Doct. Christ. c. 11.* Et idem *Hieron.* Apud Latinos, ait, tot sunt exemplaria, quot codices: cum quisque pro arbitrio suo addiderit, vel subtraxerit, quod ei visum est. Cæterùm *S. Hieron.* bis Testamentum vetus in Latinum convertit, primùm ex versione LXX. secundò ex Hebræo. Novum verò testamentum non convertit de Græco in Latinum, sed tantùm emandavit ab erroribus, qui Librariorum vitio irrepserant. Itaque vulgata editio nostra antiqua est, & à S. Hieron. emendata, novi videlicet testamenti, & reliquorum Librorum veteris, excepto Psalterio, quod putatur non esse ex ea versione S. Hieron. quam ex Hebræo, aut LXX. translulit; sed quod emendavit, translatum ab antiquo interprete, ex editione S. Luciani Martyr. Etiam probabile est, Librum Sapientiæ, Ecclesiastici & Machabæorum, non esse ex versione Hieron. sed ex antiqua translatione, cujus auctor ignoratur. Legatur *Card. Bellar. controv. de verbo Dei, N. Serrarius supra.*

B

VERNACULA BIBLIORUM TRANSLATIO.

An permissa aliquando, & permittenda?

Eam non esse necessariam, & aliquando pro temporum, & personarum, aliarumque circumstantiarum ratione non expedire, ut permittatur, quamvis de se mala non sit.

Principio veteris Ecclesiæ consuetudinem attendamus, & usum, qui fuit à tempore Esdræ usque ad Christum: & reperiemus, quòd in populo jam lingua Hebraica desierat, saltem vulgaris, ex quo ann. LXX. Hebræi inter Chaldæos fuerant in Babylone, unde deinceps Chaldæa illis fuit materna: quod apertè colligitur ex ipso Esdra, *lib. 2. c. 8.* ubi legimus, quòd cùm liber Legis Domini universo populo legeretur, & ille non intelligeret, Nehemias, & Esdras, & Levitæ eum fuerint interpretati: quam ob causam fuit in populo magna lætitia. Quò pertinet, quod dicitur *Io. c. 7.* Turba hæc quæ novit legem.

C

Deinde usq; in hanc diem Judæi legunt in Synagogis Scripturas Hebraicè, tamen nulli nationi hoc tempore lingua Hebraica vulgaris est. Chaldaicam autem interpretationem, quæ diu post Christum majori ex parte facta est, nunquam publicè pro Scriptura ab Hebræis fuit recepta.

Denique Apostoli Euangelium prædicarunt per totum orbem, Dño cooperante, & sermonem confirmante sequentib. signis: & tamen non scripserunt Euangelia & Epistolas, nisi Græcè, Hebraicè, & Latinè, juxtà modum suprà à nobis traditum. Et universa Ecclesia à temporibus Christi non est usa aliis linguis in communi, & publico usu Scripturarum, cùm tamen dudum desierint esse vulgares hæ linguæ.

D

Insuper primis annis D. certum est, Scripturam non fuisse lectâ lingua vulgari, quando tamen Ecclesia maximè floruit.

Tempore D. Hier. in toto Oriente erat ei in publico usu editio Græca LXX. Interpretum, per Origenem, Lucianum aut Hesychium emendata. Et constat, varias Provincias Orientis habuisse linguam particularem.

In Africa, quousque fuerunt Christiani, semper in usu fuisse linguam Latinam Scripturarum constat. Etiam Aug. testatur, suo tempore Psalmos in Ecclesia Latinè decantatos. Imò & Missam Latinè lectam in Africa, testis est *Cyprian. serm. de orat. Dom. Aug. de bono Persever. c. 13.*

In Hispania quoque usitatam in Scripturarum usu Latinam linguam, testatur *Isid. lib. de divin. offic.* Et *ex Conc. Tolet. IV. c. 2.*

Sed & in Anglia testatur Beda, quatuor fuisse linguas vulgares: Latinam tamen communem, propter Scripturas. *Lib. 1. hist. Angl. c. 1.*

In Gallia usum linguæ Latinæ in publica Scripturarum lectione agnoscit *Albinus* præceptor Caroli Magni, *lib. de divin. offic. & Amal.* qui floruit circa ann. Dom. 840.

Idem de Germania tradit Raban. Episc. Moguntinus, ante an. 700. & Rupertus Tuitiensis, ante an. 400. E

De Italia certum est, in ea semper usitatam linguam Latinâ etiam postquam desierat esse vulgaris. Unde S. Th. Aquinas, qui ante an. 300. floruit, *Commen. in c. 14. 1. ad Cor.* dicit, aliam linguam in Italia fuisse, quâ populus utebatur, & aliam, qua Scripturæ legebantur. Et sanè ratio convincit: unde enim Hæreses omnes natæ, quàm ex Scripturis malè intellectis? ita ut Lutherus ipse Scripturam vocaverit Librum Hæreticorum, ejusque rei experimentum in seipso exhibuerit.

Refert etiam *Cassia. col. 10. 2. 3. 4. & 5.* Anthropomorphitarum errores absurdissimos, ex sola imperitia fuisse natos. Et Ænæas Sylv. commemorat errores aliorum Hæreticorum ex eo natos, quòd scripturam legerent lingua materna, & non intelligerent.

David Georgius, qui opere manuario victum quærebat, nec aliam linguam præter maternam noverat, hoc est Batavicam; ex Scriptura vernacula sectam, sive omnium spurcitiarum cloacam elicuit, quam in plures effudit, ita ut se Christum jactaret. Exstat de eo libellus an. 1559. editus, ab Academia Basileensi. F

De Anabaptistis Monasteriensibus constat, eorum Principem semper Biblia vernacula lingua, sive regia pompa obequitaret, sive alio modo procederet, proferre jussisse. Et quidem unus *Io. Matth.* libros omnes unicis bibliis exceptis publicè in unum locum jussit comportari, & comburi. *Sleid. teste l. 10.*

Theod. l. 4. hist. c. 7. narrat, cum Præfectus culinæ Imper. nescio quid de sacris Scripturis aduxisset, eum à magno Basilio reprehensum audivisse: Tuum est de pulmentis cogitare, non divina dogmata decoquere.

Quid nunc diceret Basil. si sutores, sartores, lotrices audiret è pulpitis subinde sacra tractantes, & hac ratione Reformationem prætexentes? Certè hæ ætate, Sutrices, Campaniæ, & id genus homines, cum sectis diversissimis dissideat, omnes tamen è vernaculis Bibliis putam veritatem apud se jactitant; alii novam in cerebro suo sectam cudunt, quam mox depromunt, solam Scripturarum umbram venditantes. Eleganter D. Hier. *Epist. ad Paulin.* Quod medicorum est, promittunt Medici, tractant fabrilia fabri. Sola scripturarum ars est, quam omnes sibi passim vendicant: scribimus indocti, doctique poemata passim: hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc Sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent, antequam didicerint. Quæ Hieronymi querimonia maximè locum habet in Gallia, & Belgio nostro ac Germania etiam, & alibi, ubi post liminio Calviniana propago, ac Lutheri insaniæ, Catholicam puritatem contaminarunt, ac hominum mentes dementarunt. Omnes enim opifices utriusque sexus, Scripturas in manibus habent, & ad impuritiam suam, arrogantiam etiam adjungunt, & indocilitatem: quod de suo tempore ipse Lutherus fatetur in *Sympos. c. 1.* Etiam, ait, Anabaptistæ & Sacramentarii somniant, se, cùm vel unum Librum legerint, omnia scire.

G

Legatur de hoc Argumento *Innoc. III. Epist. 2. Th. Valdens. l. 2. c. 40. & 73. De Hussitis Cocleus l. 1. & 4. hist.*

Refert Card. Bellarmin. se à fide digno audivisse, cùm in Anglia à ministro Calvinista legeretur vernacula lingua Ecclesiasticus, in quo multa adversus mulieres, nominatim *c. 25.* quandam è turba surrexisse, & inclamasse: Hoccine est verbum Dei? Quin Diaboli potiùs istud verbum est. *Lib. 2. de verbo Dei c. 15.* H

VERNACULÆ TRANSLATIONIS USUS, ET EFFECTUS.

Vernaculam Bibliorum translationem, dummodò debitis circumstantiis & circumspectione admittatur, usum suum habere posse, & habuisse aliquando, nemini dubium est, considerantibus, quo pacto, dum primùm Biblia conscripta, non alia fuisse, quàm Hebraica, apud Hebræos; apud Græcos, Græca; apud Latinos, Latina. Erant tum enim illæ linguæ vernaculæ: unde hortabantur Patres populum, ut legeret Scripturas. *D. Chrysost. hom. 6. in Epist. ad Coloss. hom. 3. & alibi.*

D. Aug. in Expos. Ps. 33. seu Concione 3. Legite scripturas: Ideò voluit Deus, ut scriberentur, ut nos consolaremur.

D. Hieron. non Paulam modò & Eustochium, sed & Celantiam, & alias, priores enim doctæ erant, hortatur, ut eas legant.

De S. Servulo mendico, *S. Greg. l. 4. Dialog. c. 14.* ait: Nequaquam literas noverat, sed Scripturæ sacræ codices sibimet emerat, & religiosos quosque in hospitalitatem suscipiens hos coram se studiosè legere faciebat. Factum est autem, ut juxtà modum suum plenè sacram Scripturam disceret.

De

A De Pueris Biblia legere solitis exemplum habemus in Jo: Calybita, cùm à parentibus Euangelii librum peteret. Ira enim inducitur queri apud Metaphrasten & Surium: Non possum præ pudore in gymnasium ire, cùm omnes qui mecũ literas discunt, postquam expedierint, quæ in gymnasio exercentur, secum habeant Euangelia, & sedentes ea legant.

S. Brigittam legisse summo cum fructu vernacula Biblia, in vita illius docetur. Uti & S. Domnam apud Metaphrasten. Et de Judæis quibusdam idem commemorat *Epiph. heres. 30.*

Divinas scripturas sæpiùs lege, imò nunquam de manibus tuis sacra lectio deponatur: in scripturis divinis, per quas solas potes planè Dei intelligere voluntatem, prohiberi quædam, præcipi quædam, concedi aliqua, suaderi nonnulla: prohibentur mala, præcipiuntur bona, conceduntur media, suadentur perfecta. *Greg. in Moral.*

BIBLIORUM PROFUNDITAS ET INTELLIGENDI DIFFICULTAS.

Ex quo constabit, quanta impudentia & stoliditate apud nostros Novatores eorumdem lectio cuivis è trivio permittatur, & quantum fructum ex ea lectione percipere valeant: B quantaque temeritate ad omnium manus lingua vernacula devenire Biblia voluerint, hinc Germanorum Epicurus, Lutherus, illinc Galliæ Lucianus, Calvinus: & ad privatum cujusque spiritum illorum interpretationem, tanquam ad infallibilem judicem, remittendam docuerint.

EX S. SCRIPTURA.

Cùm cœpisset redigi populus Dei ad quandam formam Reip. Ecclesiasticæ, sedebat Moyses, qui summus sacerdos erat, major quàm Aaron, & princeps populi, tanquam Judex & caput illius Ecclesiæ, & respondebat omnibus ex lege Domini, eamque interpretabatur, nec remittebatur ad spiritum aliquem revelantem. *Exod. c. 18.*

In Deuteronomio præcipitur, ut quando ambiguum esset judicium, recursum haberent ad sacerdotem, cui in omnibus auscultare debebant: ira ut qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, morte plectendus decernatur. *Deut. c. 17.*

Per Agæum prophetam præcipit Deus, ut interrogemus sacerdotes legem. Et rationem reddit per Malachiam: Quia labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Dñi exercituum est. Ergo non est pri- C vatorum de lege Domini ferre judicium. *Aggæi 2. Malach. 2.*

Et certè Propheta David noverat Scripturarum idioma, & phrases; sed humilis erat & fidelis: & tamen toties inculcat difficultatem legis, toties petit à Deo illuminari ad illius intelligentiam. Unde infert S. Hieron. Si tantus Propheta tenebras ignorantiæ confitetur, qua nos putas, parvulos & penè lactentes, inscitiæ nocte circumdari? *Epist. ad Paul. de Inst. Monach.*

Christus *Luc. c. ult.* interpretabatur Scripturas discipulis, qui tamen noverant phrases Hebræorum, & vernaculam Bibliorum linguam. Imò aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas. *Ibid.*

Eunuchus Candacis Reginę Æthiopum versabatur in scripturis, easque legebat diligenter, & tamen interroganti Philippo: Putasne intelligis quæ legis? respondit: Et quomodò possum, nisi aliquis ostenderit mihi? *Act. c. 8.* Quantò feliciores nostri sæculi novatores, qui simul ac aut superbiæ aut incontinentiæ spiritu fuerint afflati, Scripturarum abdita nullo docente aperiunt, interpretantur, & docent, ac in mille errorum labyrinthos abeunt, proprii spiritus du- D cem sequentes, & magistrum? Verùm si Satanas in seipso divisus est, quomodò stabit regnum ejus? Omnes enim per spiritum suum sectam quantumcunque dissectam stabilire contendunt, & portenta opinionum, juxta purum Dei verbum dirigere.

S. Petrus confitetur, in Epistolis Paulinis esse quædam loca difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant. Qualem locum B. August. qui neque indoctus erat, neque instabilis, censet illum 1. *Cor. 3.* Si quis superædificat super fundamentum, &c. *Lib. de fide & operib. c. 15. & 16.*

Denique S. Petro Christus commisit pascere oves suas, *Io. ult.* quo loco vult à Petro pasci totum ovile suum: illud autem (pasce) potissimùm intelligitur de doctrina. Hac enim oves rationales pascuntur, ut colligitur *Jerem. 3.* Dabo vobis pastores juxtà cor meum, & pascent vos scientia & doctrina. Cùm esset orta gravis contentio, an servanda esset lex Moysis Gentibus conversis, non fuerunt remissi ad spiritum suum proprium, sed ad Concilium Hierosolymæ habitum, cui Petrus præerat. *Act. 15.*

EX SCRIPTORIBUS ET HISTORIIS SACRIS. E

De Basil. & Greg. Nazianz. ita scribit *Ruffin. l. 11. hist. c. 9.* Ambo nobiles, ambo Athenis eruditi, ambo collegæ per annos 13. omnium Græcorum sæcularium libris remotis, solis divinæ Scripturæ voluminibus operam dabant, earumque intelligentiam *non ex propria præsumptione, sed ex majorum scriptis & auctoritate sequebantur*, &c. Notent hoc novatores, & audiant S. Aug. qui, Tanta est Christianatum profunditas literarum, inquit, ut in eis quotidiè proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere, in quibus latet altitudo sapientiæ, ut animosissimis, acutissimis, flagrantissimisque cupiditate discendi hoc contingat, quod eadem scriptura quodam loco habet: Quum consummaverit homo, tunc incipit. *Aug. 8. Epist. ad Volusia.*

Idem quoque modus ipse dicendi, ait post pauca, quo sacra scriptura contexitur, quamvis omnibus accessibilis, paucissimis tamen penetrabilis. Nam quæ aperta continet, ea quasi amicus familiaris sine fuco ad cor loquitur indoctorum, atque doctorum. Ea verò, quæ in mysteriis occul- F ta, nec eloquio ipso superbo erigit, quò non audeat accedere mens tardiuscula, & inerudita, quasi pauper ad divitem: sed invitat omnes humili sermone, quòd non solùm manifesta, sed etiam secreta exerceat veritate, hoc in promptis, quod in reconditis habens. Sed ne aperta fastidiretur eadem rursus aperta desiderantur, desiderata quodammodò renovantur, renovata suaviter intimantur, his salubriter & prava corriguntur, & parva nutriuntur, & magna oblectantur ingenia. *Ibid.*

Rursus, hic philosophia: quoniam omnes omnium naturarum causæ in Deo creatore sunt. Hic ethica: quoniam bona vita & honesta non aliunde formatur, quàm quum ea, quæ diligenda sunt, & quemadmodùm diligenda sunt, diliguntur, hoc est, Deus & proximus. Hic Logica, quoniam veritas lumenque animæ rationalis nonnisi Deus est. Hic etiam laudabilior Reip. salus: neque enim optimè custoditur civitas, nisi fundamento & vinculo fidei, firmæque concordiæ, quum bonum commune diligitur, summum atque verissimum, quod Deus est. *Ibid.*

Sic loquitur Scriptura, ut altitudine superbos irrideat, profunditate attentos terreat, virtute magnos pascat, affa- G bilitate parvulos nutriat. *Lib. 2. in Gen. c. 19.*

Hanc autem profunditatem Sacrorum Bibliorum in semet expertus fuit ante conversionem eximius ille Doctor, ita de seipso scribens: Institui animum intendere in scripturas sanctas, ut viderem, quales essent. Et ecce video rẽ non compertã superbis, neq; nudatam pueris, sed incessu humilẽ, successu excelsam & velatam mysteriis. Et ego non eram talis, ut intrare ad eam possem: causã autẽ subjungit: Timor enim meus refugiebat modum ejus, & acies mea nõ penetrabat interiora ejus. Nam illa erat, quæ crescebat cum parvulis; sed ego dedignabar esse parvulus, & fastu turgidus, mihi grandis esse videbat. Nempè quia tum eloquentiæ, quam profitebatur, laude, & Philosophiæ cognitione inflatus, indeque confisus ingenio suo, nihil poterat videre. *Lib. 3. Confess. c. 5.*

Quin postea vir factus, & in Manichæorum hæresin prolapsus, nec tunc quoque Scripturas potuit intelligere, ut iterùm de se fatetur, *lib. de utilit. credendi.* Eaque de causa Episcopus quidam solicitatus à matre illius Monica, ut cum Aug. colloqui, ejusque errores corrigere conaretur, H recusavit. Respondit enim, ipso Augustino teste, quòd adhuc esset indocilis, eò quòd inflatus esset novitate hæresis illius. Posteà verò humilis factus, & Catholicæ fidei amator effectus, legens Epistolas Pauli, eas intellexit, omnemque ejus textum cum testimoniis legis & Prophetarum congruere vidit. Ut de semetipso scribit, *lib. conf. c. 12.*

Neque tamen jam factus Episc. securus esse, aut privato spiritu voluit indulgere, sed in explicando principio Geneseos laborat, & clamat. Intelligam ea pater bone, da mihi hæc subterposito, id est, humiliter sapienti; quia subterpositis solidasti ea, *l. 7. conf. c. 21.* Quòd egregii Doctoris exemplum documento esse debet, privatos superbiæ spiritus, neque ante fidem, neque in fide, circa intellectum S. Scripturæ, præterquam ad propriam perniciem, valere posse.

Huic adjungi possunt alii, qui olim in assidua lectione scripturæ occupari, multa tamen se ignorare fatebantur. Testantur id eorum scripta, ex quibus nonnulla adducam.

Damas. PP. consuluit Hier. super his quæstionibus, id est, quid significet, quod in Genesi scriptum est: Omnis qui occi-

A occiderit Cain, septuplum punietur. *Gen.*4.15. *Epist.*124. & 125. *inter Epist. Hier.* 2. Quæ sit interpretatio visionis Iiajæ Prophetæ de Seraphim & Trisagio? *Epist.*142.

Evagrius eundem consuluit de hac quæstione: An Melchisedech, qui benedixit Abrahæ, fuerit divinioris naturæ, nec de hominibus æstimandus? *Epist.*126.

Dardanus de hac: Quænam sit illa terra promissionis, quam Judæi redeuntes ex Ægypto dicuntur possedisse? Non enim videtur fuisse Palæstina, quia illa jam ante fuerat à majoribus ipsorum possessa, ac proindè non tam fuit promissa, quàm reddita. *Epist.*129.

Vitalis quæsivit ab eodem: An pro vero credendum sit Salomonem & Achaz, quod Scriptura commemorat, XI. ætatis anno filios genuisse? *Epist.*132.

Cyprianus quæsivit: Quæ sit vera explicatio difficillimi illius Psalmi, qui incipit, Domine refugium factus es nobis. *Epist.*139.

Marcella nobilis apud Romanos fœmina, multa illi proposuit: Quid sit Ephobbad, & quid Theraphim, apud Hebræos. *Epist.*140. Quid significet Allevia, Amex, Maranatha. *Epist.*137. &c.

Principia Virgo Romana, petivit ab illo explicationem illius Psalmi: Eructavit cor meum verbum bonum. *Epist.* 140.

Sunia & Tretella, ex Getarum & Getmanorum finibus, ab eodem per epistol. interrogarunt: An in ea contentione qua Latini dissentiunt à Græcis in Psalterio Davidis, Hebræi magis cum his, quàm cum illis conveniant? *Epist.*135.

Hedibia nobilis apud Gallos fœmina, misso in Bethleem Apodemio, proposuit illi has difficultates. 1. Quomodò accipiendum sit illud Christi, *Matth.*26.29. Non bibam amodo de genimine vitis usque in diem illum, cùm illud vobiscum bibam novum in regno Patris mei. *Epist.*150.2. Cur Matthæus dixerit, Christum vespere, Marcus mane resurrexisse? *Ibid.* 3. Quid significet, quod in Matthæo scriptum est: Velum templi scissum est in duas partes à summo usque deorsum, & quæ sequuntur. *Ibid.*

Omitto similes de Scriptura quæstiones, quæ ex toto ferè orbe Christiano ad S. Hier. deferebantur. Venio ad S. Aug. ad quem nec pauciores, nec à pauciorbius delatæ sunt.

C Velusianus hanc illi detulit: Quomodò Deus immensus claudi potuerit utero Virginis? Et an interea temporis deseruerit curam mundi? *Epist.*2. *inter Epist. S. Aug.*

Marcellinus: Cur Deus mutaverit Sacrificia Mosaica, quæ semel instituit; præsertim cùm ea quę semel rectè instituta sunt, mutari nisi injustè non possint? *Epist.*4. & 5. Item quomodò Magi Pharaonis potuerint invenire aquam, quam in sanguinem mutarent, cùm jam anteà tota aqua Ægypti fuerit à Moyse in sanguinem transmutata? *Epist.*7.

Bonifacius Episc. Qui fiat, ut infantibus in baptismo prosit parentum fides, cùm post baptismum non noceat illis parentum impietas? Idem: Quomodò susceptores in Baptismo respondeant, infantes credere, cùm reverà non credant, & incertum sit, an aliquando sint crediturí? *Epist.*23.

Dardanus: Quomodò Christus homo credatur nunc esse in cœlo, cum ipse in cruce latroni dixerit: Hodie mecum eris in Paradiso. Et: An hinc sequatur, Christum hominem, sicut Deum, ubique esse. *Epist.*57.

Paulinus: Quid sit, quod dicitur *Ps.*15. Sanctis qui sunt in terra ejus, mirificavit omnes voluntates suas inter illos. D *Epist.*58. & 59.

Evodius Episc. Quinam sint illi spiritus, de quibus loquitur Petrus, *Epist.* 1. *c.*3. 19. In quo & his, qui in carcere erant spiritus, veniens prædicavit. *Epist.*98. & 99.

Honoratus: Quid sibi velit vox illa Domini, *Psal.*21. 2. Deus, Deus meus, quare me reliquisti? *Epist.*120. Item quid sit, quod ait Apostolus *Ephes.*3.17. Ut in charitate radicati & fundati possitis comprehendere cum omnibus Sanctis, quæ sit latitudo & longitudo, & sublimitas & profundum. *Ibid.* Item quæ sint quinque virgines stultæ, & quæ sapientes. *Matth.*25. 2. *Ibid.*

Simplicianus: Quid velit Apost. *ad Rom.*7.7. ubi ait: Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Usque ad eum locum: Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus? *Lib.*1. *ad Simplicianum*, *q.*1.

Ex his quæstionibus manifestè apparet, Scripturam in multis locis obscuram ac intellectu difficilem esse: Et homines etiam doctissimos, quorum jam mentio facta est, palam profiteri, se non posse omnia percipere, nisi à Doctoribus instruantur. Quæ porrò sint causæ hujus obscuritatis.

☞ *Quære in loco de Scriptura Sancta.* E

* NEGLECTUS, CONTEMPTUS BIBLIORUM.

Demetrius Phalereus, Bibliothecæ regiæ præfectus, à Ptolemæo rege Ægypti interrogatus, qui factum sit, ut tam admirandæ scripturæ divinæ nec Historicus ullus, nec poeta mentionem fecerit; tunc respondit, neminem ausum eam attingere, quam constaret divinam esse, & omni vengeratione dignissimam, & punitos esse quosdam à cœlesti numine, qui eam temerè attrectare non sunt veriti. Theopompum enim volentem indè quedam suis scriptis inserere, mente motum fuisse diebus xxx. & per intervalla insaniæ Deum placasse, facilè conjicientem, quæ morbi causa fuerit; atque in somnis admonitum, hæc idcò pati, quòd fuisset circa res divinas curiosior, eaque voluisset proferre humanis rationibus. Quare cùm à cœpto destitisset, sanam mentem ei fuisse redditam.

Theodeti etiam poetæ, cùm in quadam tragœdia vellet aliquid è sacris libris admiscere, oculos glaucomate suffusos caligasse: & cùm erratum cognovisset, exorato Deo redditam sibi aciem. Acceptos dein à Demetrio libros (antiquæ legis) rex cùm adorasset, asservari jussit diligenter, ut incorrupti manerent. *Hæc Joseph. l.*12. *antiq. c.* 2. *Baron. ann. Dom.*231.

☞ *Consulat lector controversias Bellarm. c.*6. *l.*3. *de verbo Dei*, ubi paulò aliter eadem narrantur. *Legat etiam locum de Impietate, Tit. Impii in libros sacros, eis abutendo, negligendo, contemnendo, mutilando, adulterando. Unde plura, quæ hoc argumentum illustrent, desumi poterunt. Item locus de Scriptura sacra nonnulla suggeret.*

* BIBLIORUM NOMINA.

Complura sunt Bibliorum nomina, & communiter sunt ista.

I. Sacræ Literæ. Vox Litera, tum pro ipsis Scripturæ notis & elementis, tum pro Scriptura sive Libro, denique pro Epistola usurpatur apud Auctores profanos. Itaque Biblia vocantur per excellentiam Literæ, quasi scriptum aliquod, quod & ab Auctore, & argumento sit sacrum.

II. Qua ratione etiam dicitur absque addito Scriptura: ita David, Dominus narrabit in Scripturis. *Psal.*86. Et prior acceptio est apud Paulum, *in Epist.* 2. *ad Timoth. c.* 3. quo etiam loco vocantur, Scriptura divinitùs inspirata. G

III. Dicuntur Libri Canonici, item Libri authentici, & in martyrio S. Felicis Martyris Africani, Deifici codices: causa petatur ex dictis.

IV. Commune præ reliquis nomen est Biblia, quod Librum significat, & Epistolam, 4. *Reg. c.*5. *v.*19. & ita usurpat Herodot. *l.*1. dum ait, Harpagum inclusisse leporis ventri βιβλίον ad Cyrum. Item contractus alicujus Syngrapham, v. g. emptionis, ut *Jer.* 22. Matrimonii, *Tob.*7. *Deut.* 24. Omnibus autem his modis propter sacratum scripturarum excellentiam, volumen librorum Sacrorum Biblia appellatum semper fuit. Est enim liber, qui auctoritate & utilitate reliquos præcellit, & continet Epistolas summi regis ad nos missas, item contractus cum homine initos.

Unde V. vocatur etiam testamentum, & testamenta apud Aug. *l.*32. *cont. Faustum*, *Ambros. in c.*10. *Luce*, & alios: tum quia Dei voluntatem nobis testantur, tum quòd pacta & fœdera, quæ cum hominibus à Deo inita, libri isti contineant, & hæreditatis nostræ promissa ob oculos ponant, & velut possidendam tradant, quod sit in testamentis. Et quia Domini testamenti vetustatem, ac novitatem propo- H nunt, Vetus, & Novum testamentum appellantur, quæ allegoricè significata vult Apostolus per duos filios Abrahæ, Isaac, & Iismaelem, quorum hic de ancilla Agar, ille de Sara uxore natus est.

Igitur libri illi, qui tractant res divinas ante Christi adventum, quique in Canonem Librorum Sacrorum sunt relati, dicuntur vetus Testamentum: Novum verò Testamentum appellantur, qui post Christi adventum simili auctoritate res divinas tradunt, & ab Ecclesia in Canonem eundem sunt relati. Eaque de causa vocantur etiam Instrumentum.

VI. Dicuntur etiam Pandectes, item Bibliotheca. Quamvis enim prius nomen libris Jurisconsultorum competat, tamen abhinc annis 900. circiter etiam in Sacrorum Bibliorum libros collatum fuit. Ita Cassiodorus Græcum Pandectum dixit: & Venerabilis Beda sub finem *l.*6. *de æt.* hoc nomen Bibliis indidit. Sic & Alcuinus in iis, quæ Caroli Magni jussu, & rogatu correxerat, ita scripsit.

Nomi-

A *Nomine Pandecten proprio vocitare memento*
Hoc corpus sacrum, Lector, in ore tuo.

Idem etiam vocavit Bibliothecam, quasi connexionem multorum sacrorum librorum. Pergit enim:

Quod nunc à multis constat Bibliotheca dicta,
Nomine non proprio, ut lingua Pelasga docet.

* SENSUS.

Ad dignitatem Scripturæ pertinet, ait *S. Aug. de vera Relig.* ut sub una litera multos sensus contineat: ut sic diversis intellectibus hominum conveniens, unusquisque miretur, se in divina scriptura posse invenire veritatem, quam mente concepérit: ac per hoc facilius contra infideles defenditur, dum si aliquid, quod quisque ex sacra scriptura velit intelligere, falsum apparuerit, ad aliud recursum possit habere.

Est igitur non unus Scripturarum sacrarum sensus, & interpretatio; alia namque est literalis, alia mystica, seu spiritualis. Et ea rursus Theologica, allegorica, & analogica. Addunt alii sensum accommodatitium, qui nempè per accommodationem fiat.

B Literalem vocant eum, qui per verba ipsa significatur proximè, & vocatur Historicus: quia Historiæ talem præ se ferant. Estque duplex, proprius, & figuratus, ac omnibus Scripturæ partibus competit: habetque scriptura præter literalem, alium insuper sensum. Quomodò Historia Jonæ in ventre Ceti, significat id quod gestum est, & præterea Christum sepultum in terra tribus diebus, &c.

Mysticus sensus est, cujus signum proximum est ipse sensus literalis; estque communiter triplex, ut diximus. Exemplum sit in voce Hierusalem: quæ primò omnium, Historicè significat urbem illam ita dictam. 2. Allegoricè, Ecclesiam: Tropologicè, animam: Anagogicè, fœlicitatem æternam. Sensus tamen mysticus non per omnes Bibliorum partes reperitur, cùm in plerisque solùm res gesta proponatur, nec alium sensum contineant præter literalem. De his sensibus circumferuntur hi versiculi:

Litera gesta docet; quid credas, allegoria;
Moralis, quid agas; quò tendas, anagogia.

* INTERPRETES, sive SCRIPTORES.

Interpretes Bibliorum, qui in utrumque scripsere Testa- C mentum, & quorum lucubrationes etiamnum extant, plures sunt. Primas inter eos obtinere videntur S. Athanasius, Ephrem Syrus, item qui Glossam ordinariam compilarunt, Strabus Monachus Fuldensis sub an. 840. & Anselmus Laudunensis sub an. 120. Videatur Sixtus Senensis *l.*4. Genebrardus *Cron. l.*4. Deinde Nicolaus Lyranus Minorita scripsit in universa Biblia post illam comprehensam 50. Libris, quibus adjecit 35. Libros Moralitatum.

In particulares libros Bibliorum, habes Origenem, Augustinum, Hieronymum, Ambrosium, Gregorium, aliosque veteres; Peterium, Hectorem Pintum, Riberam, Maldonatum, Didacum Stellam, Hugonem Cardinalem, & nonnullos eruditos recentiores scriptores, inter quos elucet Guliel. Estius, & Cornelius Janssenius Episc. Gandavensis, qui magno Reip. Christianæ commodo, concordiam Euangelicam concinnavit, & in alios nonnullos Scriptores, eruditos commentarios evulgavit.

Sixtus Senensis hoc de veteribus Explanatoribus S. Scripturæ judicium fert:

Historias Hebræis, & Græcis fontibus haustam,
D *Hieronymo disces Duce.*
Allegorias, Anagogemque recludunt,
Origenes, Ambrosius.
Exponunt sensus formandis moribus aptos,
Chrysostomus, Gregorius.
In dubiis, aliaque locis caligine mersis,
Aurelius lucem feret.
Non spernenda tibi Tyro, facilisque brevisque
Lyrensis expositio.

Poterit studiosus Lector recurrere ad Commentarios Riberæ in Aggæum, Zachariam, & Malachiam, ubi clarè demonstratur, quantum SS. Patres, præ aliis reliquis, præstiterint in expositione Scripturarum: & qui Auctores in expositione literali, qui denique in mystica scripturarum explanatione sequendi sint, explicatur. Omnium verò S. Scripturæ interpretum tam veterum, quàm recentiorum usque ad hæc tempora, Elenchum dabimus *in loco de Theologia & Theologis*, in fine.

* BIBLIORUM ORDO. E

PRIMUM

APUD LATINOS.

Ordinem sive Canonem Librorum Sacrorum, qui apud Latinos est, suprà ex Conc. Trid. proposuimus.

S. Aug. in speculo, non per omnia eundem ordinem retinuit; omittit enim aliquos libros, quòd præcepta nulla continerent, quæ ad speculum illud spectabant. In novo autem Testamento, præponit Epistolas ad Thessalonicenses illi, quæ est ad Colossenses: Et epist. Petri præponit epist. Jacobi.

Addemus autem in gratiam Lectoris, ordinem librorum sacrorum, quem servant Græci, Judæi, & Hæretici, ut ex eo appareat, quantum hac in re ab invicem dissentiant.

ORDO BIBLIORUM APUD GRÆCOS.

In septuaginta Græcis Romæ anno Dom. 1587. editis hic est ordo.

Pentateuchus.
Jesus Nave.
Judices.
Ruth. F
Regnorum. { Primus. Secundus. Tertius. Quartus.
Paralipomenon. { I. II.
Esdræ. { I. II.
Neemias.
Tobis Tobias.
Judith.
Esther.
Job.
Psalmi.
Paræmiæ. Proverbia.
Ecclesiastes.
Canticum, ᾆσμα.
Sapientia Salomonis. G
Sapientia Syrach.
Prophetæ minores, eodem ordine, qui apud Latinos.
Prophetæ majores, eodem ordine, qui apud Latinos.
Machabæorum. { I. II. III.

Novum testamentum non est in eo appositum opere; sed in Græcis exemplaribus idem ferè semper ordo, qui apud Latinos.

Apud S. Epiphan. verò *Hæresi* 8. & *lib. de ponderib. & mensuris*, sic veteris Testamenti enumerantur libri.

Pentateuchus.
Josue.
Judices.
Ruth.
Job.
Psalterium.
Proverbia.
Ecclesiastes.
Cantica Canticorum. H
Libri Regum. { I. II. III. IV.
Paralipomenon. { I. II.
Minores Prophetæ.
Majores Prophetæ, eodem ordine, qui apud Latinos & septuaginta.
Esdræ. { I. II.
Esther.

BIBLIORUM ORDO APUD JUDÆOS.

Nullum penè in divinis literis apud suos fuisse olim ordinem testatur R. Elias in præfatione 3. Hammasoretæ: posteà verò extitit multiplex. Nam primò apud Thalmudicos in baba bathra *c.*1. *fol.*14. hic proponitur.

I. Lex

A

I. Lex seu Pentateuchus.

2. Prophetæ.
- 1. Josue.
- 2. Judices.
- 3. Samuel.
- 4. Reges.
- 5. Jeremias.
- 6. Ezechiel.
- 7. Isajas.
- 8. Schenaym Zasar, seu ut Chaldæi & R. Aser in citatum, Thamuldici Tractatus c. 1. vocant Theresar, seu minores Prophetæ.

3. Cethubim, seu Hagiographa.
- 1. Ruth.
- 2. Psalmi.
- 3. Job.
- 4. Proverbia.
- 5. Ecclesiastes.
- 6. Canticum.
- 7. Threni.
- 8. Daniel.
- 9. Esther.
- 10. Esdras.
- 11. Paralipomenon.

B

In eodem c. 1. Babæ bathræ dicuntur Rabbini quidam Danieli adjunxisse Esdram & Nehemiam, fortè quia hi velut illius interpretes existimati, ut Danielis c. 9. opinatur *Brugthonus pag.* 36. At istum ordinem refert etiam R. *Godolias in sua Kaballæ Catena fol.* 69. *v.* Cum triplici tamen discrimine. Nam 1. in Prophet. Isajam sexto loco ponit ante Ezechiel. 2. in Hagiographis post Threnos octavo loco numerat Estherem. 3. omittit Danielem, & Esdram.

II. Apud Masorethas.

1. Lex.

2. Prophetæ.
- 1. Josue.
- 2. Judices.
- 3. Samuel.
- 4. Reges.
- 5. Isajas.
- 6. Jeremias.
- 7. Ezechiel.
- 8. Minores Prophetæ.

C

3. Hagiographa.
- 1. Paralipomena.
- 2. Psalmi.
- 3. Job.
- 4. Proverbia.
- 5. Ruth.
- 6. Canticum.
- 7. Ecclesiastes.
- 8. Threni.
- 9. Esther.
- 10. Daniel.
- 11. Esdras.

Masoretharum verò istum ordinem sequuntur ferè Hispani Judæi: Sicuti Thalmudicum ferè tenent Germani, & Galli, prout citato loco admonet R. Godolias Aben Chaya.

III. In Magna Hebræorum Bibliorum editione Bombergiana.

D

1. Lex.

2. Prophetæ.
- Priores.
  - Josue.
  - Judices.
  - Samuel.
  - Reges.
- Posteriores.
  - Isajas.
  - Jeremias.
  - Ezechiel.

3. Cethubim Hagiographa.
- 1. Thillim Psalmi.
- 2. Mischle seu Proverbia.
- 3. Job.
- 4. Daniel.
- 5. Esdra.
- 6. Paralip.
- 7. Megillot. 5.
  - 1. Canticum. — 1. In Paschate.
  - 2. Ruth. — 2. In Penteco.
  - 3. Threni. — 3. Die 9. mẽsis A. B.
  - 4. Ecclesiastes. — 4. In Sucoth, seu festo Tabernaculorũ.
  - 5. Esther. — 5. Mẽse Adar, in fest. Purim.
  - secundùm ordinem, quo in anno, priùs, aut posteriùs eos libros synagoga, videlicet, legit.

IV. In Germanorum Judæorum bibliis ordo idem, nisi quòd Hagiographa sic collocentur. E
1. Psalmi.
2. Proverbia.
3. Job.
4. Megilloth. 5. ut suprà, scil. ordine, quo in Synagogis legi solent,
5. Daniel,
6. Esdra,
7. Paralipomena.

V. Apud S. Hieron. in Prologo Galeato idem ex Hebræorum sententia refertur ordo, nisi quòd in Hagiographis traditur hic.
1. Job,
2. David,
3. Salomonis Proverbia,
4. Ecclesiastes,
5. Cantica,
6. Daniel,
7. Paralipomena;
8. Esdras. } I. I I. F
9. Esther,

HÆRETICORUM ORDO
QUOAD LIBROS SACROS.

Ex aliis libris, qui verè divini sunt, alios Hæretici nostri dicunt Canonicos, alios Apocryphos. In illis, Judæorum ferè ordinem sequuntur libentiùs; vel fingunt, qui ipsis allibuit, alium.

I. Munsterus quidem à communi nostro ordine abit, quia apud eum sunt.
1. Majores Prophetæ. 3. { Isajas. Jeremias. Ezechiel.
2. Minores duodecim.
3. Psalterium.
4. Job.
5. Proverbia.
6. Daniel.
7. Paralipom.
8. Cantica Canticorum. G
9. Ruth.
10. Threni.
11. Ecclesiastes.
12. Esther.

II. In Tigurinis verò Bibliis post alios eodem, qui suprà, ordine.
1. Esther.
2. Prophetæ Majores quatuor.
3. Minores Prophetæ.
4. Job.
5. Psalterium.
6. Libri Salomonis.

III. In novo testamento à Luthero ponitur.
1. Epistolæ S. Petri. } I. I I.
2. Epistolæ S. Joannis. } I. I I. I I I.
3. Epistola ad Hebræos. H
4. Epistola S. Jacobi.
5. Epistola Judæ.
6. Apocalyps.

IV. In Tremelii & Julii editione Apocryphi sejuncti ab aliis ponuntur, & appendix veteris Test. vocantur; sicque collocantur & recensentur Historici ex temporis serie dispositi.

Tobiti Lib. I.
Oratio Manassis.
Judithæ Lib. I.
Epist. Jeremiæ.
Hesdræ. } I I I. I V.

Adjectiones ad Librum Estheræ.
Schimbonis Lib. I. qui vulgò Machabæor. III.
Machabæorum. } I. I I.

Dida-

A Didascali.
Liber Sapientiæ.
Ecclesiasticus.

V. In editione Tigurina sic disposuit Zuvinglianus Cholinum.
1. Sapientia.
2. Ecclesiasticus.
3. Oratio Manassæ.
4. Baruch.
5. Partes Danielis.
6. Judith. } I I I.
7. Esdræ. } I V.
8. Estheræ partes.
9. Machabæorum. } I. I I.

VI. In Germanica Lutheri editione.
1. Judith. 2. Sapientia.
3. Tobias. 4. Sirach.
5. Baruch. 6. Machabæi.
7. Estheræ partes. 8. Danielis partes.

B Alii omissi in VVittembergensi editione an. 1551. Francofurtensi an. 1563. Herbonensi an. 1598. aliisque, quas videre licuit omnibus. Verissimè verò *Cassiod. l.* 1. *Inst. Divin. Lect. c.* 11. Sunt nnnnulli, qui putant esse laudabile, siquid contra Antiquos sapiant, & aliquid novi, unde periti habeantur, inveniant.

* Bibliopolæ.

Bibliopolæ sunt, qui vendunt libros. Dicti à βιβλίον, quod Librum significat, & πωλέω, quod est Vendo. Sosii librarii Romani. Sic Horat. *l.* 1. *Epist. ult.*

Vertumnum, Janumque liber spectare videris:
Scilicet ut prostes Sosiorum pumice mundus,
Odisti claves, & grata sigilla pudico:
Paucis ostendi gemis, & communia laudas,
Non ita nutritus.

Hermodorus quidam Platonis auditor commentarios ab illo conscriptos in Siciliam deportare consuevit, atque inibi venditare. Unde Siculi, ut sunt dicaces, rem in Proverbium verterunt, dicentes: Hermodorum pro mercibus C importare verba. Cæterùm Sophistæ & Philosophi lucubrationes suas λόγους appellant. Allusit haud dubiè huc *M. Tull. lib. Epist. ad Attic.* 13. Dic mihi, placetne tibi primùm edere injussu meo? Hoc ne Hermodorus quidem faciebat is, qui Platonis libros solitus est divulgare, ex quo λόγοισιν Ἑρμόδωρος ἐμπορεύεται. Hinc & λογέμπορος dictus, qui præter verba nihil adfert. *Erasm.*

Tryphon librarius & bibliopola *apud Martial. in Epigr. Non habeo, sed bibliopola Trypho.*

Narses Eunuchus (qui posteà à Justiniano Imp. in Italiam missus fuit contra Gothos, & Totilam primò, mox Thejam, eorum reges, devicit & occidit) bibliopola fuit. Mox ab Imperatore in cubiculum suum adscitus, & ordine patricio cohonestatus, occasionem virtutes suas declarandi habuit. *Platina in vita Pelag.* 1.

Bibliothecæ.
Quæ & Libraria.
IN GENERE.

Scripsit de Bibliothecis post omnes alios, eruditum syntagma D *V. C. Justus Lipsius, in quo originem, & veterum Bibliothecarum exempla adduxit, & describit. Nonnulla ab eo mutuata in hunc locum transtulimus, additis plerisque aliis ejusdem argumenti.*

* BIBLIOTHECA, ET LIBRARIA QUID.
Reges veteres habuisse, atque illos Ægypti. Earundem etiam Origo, Progressus.

Bibliotheca tria significat, Locum, Armarium, Libros. Græca vox Latinis in usum etiam venit, & quamquam Librariam dicunt, tamen magis commune est, ea voce tabernam capi, in qua venales libri extant: sed Bibliothecarum vox vetus, & nisi fallor, cùm ipsis literis adinventa. Nam simul ac scire sapere natum est, mox etiam scribere: istud esse cum fructu non potuit, nisi ut libri adservarentur & disponerentur, & ad præsentium & posterorum usum. Privata primùm ea cura, & quisque sibi suisque struebat: postmodùm Reges & Dynastæ usurparunt, nec in usum solùm, sed ambitionem, aut splendorem. Sanè multos congerere, vix fuit privati hominis, aut census, cùm tarda & impendiosa descriptio esset: donec utilissima hæc Typographia rem in compendium misit. Qui primus Regum illustrem habuit (quod memoria servet) is fuit Osymanduas Ægypti. Qui inter alia operum præclara, S. Bibliothecam struxit, & in ejus fronte proscripsit, ψυχῆς ἰατρεῖον, Animi Medica Officina. Ita *Diod. l.* 1. Et quamquam ille inter veteres Regum fuerit; non tamen dubito exemplum, si non ipsam rem, mansisse, & in Ægypto Bibliothecas semper aliquas exindè extitisse: idque in templis præcipuè, & sacerdotum cura. Multa argumenta, tum & illud de Homero: quem *Naucrates Eustat. in Præfat. Odyss.* quidem plagii accusat, & in Ægyptum cùm venisset, libros reperisse Phantasiæ fœminę, quæ Iliadem, atque Ulisseam scripserit, & Memphi in templo deposuerit Vulcani. Homerum igitur vidisse, sibi adscripsisse, & edidisse. Quæ in viro opinor falsa, rem tamen & morem firmant. E

IN SPECIE.
Librorum studium. Bibliothecæ tam privatæ quàm publicæ.

☞ *Cùm non semper vivos habeamus præceptores, aut certè non semper doctos & bonos, Bibliochecæ à Regibus olim & locupletibus hominibus institutæ fuerunt, in quibus optimorum auctorum libri reconderentur: & à quibus suo item tempore, tanquam è penu, depromi possent. Si spectes sumptum, ad locum Magnificentiæ pertinent: si opulentiam, inter Fortuita connumerari merentur, si subjectum Lectionis, hujus sunt loci.* F

Propter Regum Judæorum idololatriam, & populi gravissima scelera, factum est, ut destructa synagoga, libri sacri interciderent, sub Josia rege à studiosis viris vix tandem reperti. Sedechia autem regnante, Hierosolyma rursus devastata, templum exustum cum libris. Verùm Esdras sacerdos & legis doctor, post captivitatem Babylonicam, Moysis & Prophetarum libros restituit, & in ordinem redactos publicè interpretatus est, idque per dies singulos à primo ad novissimum. 2. *Esdr.* 8. Deinde alios ipse libros adjecit. Nam Moyses præter leges scriptas, secretiora quædam mysteria, uti à Deo acceperat, sapientioribus tantùm (quos Origenes Consiliarios mirabiles vocat) tradidit. Quæ propterea Cabala, sive traditio appellabatur, quòd non per literas, sed successione quadam, hæreditario jure, alter ab altero reciperet. Sicut in Ecclesia Christi traditiones quædam ἄγραφαι, ab Apostolis hactenùs quasi per manus ad nos transmissæ creduntur. Nihil enim aliud erat Cabala, quàm doctrina quædam viva voce tradita, continens certissimam divinæ legis scriptæ interpretationem. Quam Esdras de 70. doctissimorum virorum consilio in libros redegisse legitur, ne, si quando propter bella & captivitates institutus à majoribus tradendi mos observari non posset, cœlestis doctrinæ arcana interirent. Quòd verò eos tam diligenter in synagoga sua conservarint Judæi, non absque singulari providentia Dei factum esse affirmat *Justin. in orat. contr. Gentes* ne Christianis eos proferẽtes, quasi suppositi aut corrupti essent, & ἀφορμὴν ῥᾳδιουργίας maledicis præberẽt: unde & Christianorum bajuli, sive scriniarii, à B. Aug. vocantur; 4. *Reg.* 2. *Joseph. l.* 10. *c.* 10. *Euseb. l.* 3. *c.* 8. *Middendorp. de Acad.* G

Nehemias è Babylonica captivitate revertens, librariam instituit, & Epistolas de rebus gestis Regum congessit. Posteà Judas Machabæus, capta urbe ab Antiocho Epiphane, omnia collegit, quæ superbus hostis reliqua fecerat. 2. *Mach.* 2.

Apud Persas Sysiana Bibliotheca admodùm memorabilis fuit: quam Metasthenes Persas consuluit, cùm de judicio temporum & annalium Persarum, post Berosum, scriberet, in qua Annales Persarum fuerunt. *Metasthenes in Hist.* H

Pisistratus tyrannus Bibliothecam primus Athenis publicavit, quam Xerxes urbe potitus ad Persas transtulit. Eam deinde multis post annis Seleucus Nicanor referendam curavit. Homerus ejus jussu, in eum qui nunc est, ordinem redactus fuit. Quidam tamen hoc filio Hipparcho tribuunt. *Gel. l.* 6. *cap.* 17. Eam Adrianus Imp. restituit, & mirabilem construxit novam, teste *Euseb. & Adone apud Platin. de vita Alex.* 1. Scribit *Egnat. in vita Claudii*, quòd cum Gothi bibliothecam hanc exurere conarentur, quidam eis persuaserunt, à Musis abstinendum, & literis parcendum esse, quibus dum Græci diligentiùs incumberent, minùs ad bella idonei redderentur.

In Cnido insula, una ex Cycladibus, Bibliotheca fuit, quam Andreas Medicus, in eo quem de Medicinæ origine conscripsit libro, Hippocratis igne concrematam ex invidia (contrariam enim Medicinæ sectam Cnidii tuebantur) scribit. *Soran. in vita Hippocratis.*

* ALE-